Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2147

Quelle:
Copyright:

triſtauero aliquem, quemadmodum rogem &c. Nota eſt vaſta illa Collectio *Hieronymo* perperam adſcripta et jam Sec. XV. pluries barbaro *Liber Vitaſpatrum* titulo typis edita, demum ſaniores *Heriberti Roſweydi* curas experta *Antverpiae* 1615. f. ex qua Floſculi noſtri decerpti ſunt. Ultimus tamen inſcriptus: *Quod non eſt curandum de eo, quod actum eſt, ſed quid ſit agendum.* de quodam in puteum lapſo ex epiſtola *Auguſtini* ad *Hieronymum* deſumtus dicitur.

DLXIV.

587. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 229. 4. maximam partem nitide exaratus quondam ad ſaepe memoratum Sacerdotem illum *Bohemum Wenceslaum Roſſam Preſorovinum* alias *Chrudimenſem* pertinuit. Ineſt ei I. *Tractatus de preparacione cordis*, qui incipit: *Preparate corda ueſtra domino, verba ſunt Samuelis* &c. et ad calcem *Liber de doctrina cordis* adpellatur. Recenſus eſt *Cod.* DCXXXIX. et F. *Gerardo Leodienſi* O. P. jure meritoque tributus.

II. *fol.* 124. p. 2. *Incipit Libellus qui intitulatur teſtamentum electorum.* Ingreſſus: *Diſpoſui teſtamentum electis meis. Angelus teſtamenti id eſt chriſtus quem pater heredem uniuerſorum conſtituit in cruce decedens teſtamentum eterne hereditatis, quod longe ante diſpoſuerat, morte propria confirmauit.* &c. Juxta VIII. quas vocant, *Beatitudines* ordinata eſt pia Commentatio et finit: *Superborum ſublimium colla propria uirtute calcans. Valer. Andreas* et *Foppenius* in *Biblioth. Belg.* complures excitant *Codices*, in quibus hoc Opuſculum Librum *de Doctrina Cordis* praefixo *Gerardi* nomine pone ſequitur. Quidni et nos ei tribuamus, non obſtante *Trithemii* ſilentio, qui non omnia *Gerardi* ſe vidiſſe fatetur.

III. *fol.* 156. p. 2. *Incipit libellus de tribulacione.* Ita: *Da nobis domine auxilium de tribulacione. Tibi anime tribulate et temptate proponitur uerbum hoc, ut intellecto de quo tribulaciones ſeruiunt ſapientibus, et que ſeruicia ex eis extrabere poſſunt, niſi per te ſteterit, non ſolum pacienter ſed eciam hylariter gallice* abone chire *eas ſuſtineas* &c. Licet nec *Trithemius*, nec Bibliothecarii *ſupra cit.* nec *Quetifus* hujus Opuſculi meminerint, tamen illud confidenter *Gerardo* tribuo, cum, quod in *Codice* praecedentibus cohaereat, tum maxime ratione Stili, et interjectionis φρασεων *Gallicarum*, quas et in prioribus Tractatibus offendas. Agit vero hic Autor de XII. *Utilitatibus* ſeu *Servitiis*, quae praeſtant Hominibus Adverſa, et concludit: *ut tandem percipias coronam uite quam repromiſit deus diligentibus ſe.*

IV. *fol.* 182. p. 2. Tractatus catholicus de Subſtantia Panis et Vini non remanentibus in Sacramento Altaris poſt conſecrationem. Initium: *Viſum eſt non eſſe*